

DISQVVISITIO INAVGVRALIS MEDICA
NOVVM SISTENS ARGVMENTVM
CONTRA CELEBREM

R V S I S I O A V I I

DOCTRINAM

DE

HOMINIS ANIMALITATE

CVLTVRA INGENII

PRAESTANTIORE

Q V A M

AVCTORITATE ET CONSENSV

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

P R O

GRADV DOCTORIS

RITE OBTINENDO

AD D. XIX. MART. MDCCLXXXVII.

H. L. Q. S.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R

IOANNES CONRADVS BECKHAVS

LINGA — GVESTPHALVS.

H A L A E

TYPIS HENDELIANIS.

V I R O

PERILLVSTRI, SPECTATISSIMO,
IVSTO VOLLRATHO
THEOPHILO MÜLLER

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS
A CONSILIIS

REDITVVM, RERVVM BELLICARVM ATQVE
DOMANIALIVM INTIMIS

FAVTORI ATQVE AVVNCVLO SVO
MAXIMA ANIMI DEVOTIONE AC PIETATE
AD CINERES VSQVE COLENDO

V I R O

EXCELLENTISSIMO, CELEBERRIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO

LEONHARDO LVDOVICO
FINKE

MEDICINAE DOCTORI, IN ACADEMIA LINGENSI
PROFESSORI MEDICINAE ET PHYSICAE
ORDINARIO,
BIBLIOTHECAE PVBLICAE PRAEFECTO,

AFFINI SVO OMNI PIETATE
ET OBSERVANTIA PROSEQVENDO

V I R O

DE NI QVE

ILLVSTRI, CONSVLTISSIMO,
FRIDERICO GVILIELMO
BECKHAVS

REGIS BORVSSORVM POTENTISSIMI
A CONSILIIIS BELLICIS ET CIVITATIS
LINGENSIS CONSVLI

FRATRI SVO CARISSIMO

STVDIORVM PRIMITIAS SACRAS VVLT

ET OFFERT

A V C T O R.



PROLOGVS.

Legibus academicis satisfacturus cum diu mecum cogitarem, quodnam mihi potissimum sumerem argumentum, tantamque rerum medicarum, quas et antiquitas tractavit, et recentiorum; vindicavit solertia, luxuriam esse intelligerem, ut, si quid in arte superesset tironi, aegre me inventurum sperarem, subiit tandem animum meum cogitatio, quae ut novitatis gratia arridebat, ita non prorsus indigna

videbatur coeavorum ingenio. Cum enim recentiorum quorundam mirabilia illa de societatis hominum dignitate paradoxa ponderarem, in eo non omnem operam me perditurum putavi, si parum exactius inquirerem: omnia aegritudinum genera, quae hominem in societatem congressum urgent, utrum *ingenii culturae* an *animi* aequae ac *corporis constitutioni naturali* iure referamus accepta?

Habes L. B. instituti mei rationem; an omnem in partem, ut perorari debebat, causam peroraverim, Tuum erit iudicare, non meum. At ne unum et


alterum eorum, quae super hoc argu-
mento differui, in sensum forte alienum
incurrat, non tam lectoris instituendi
gratia, quam in mei potius excusationem
pauca quaedam mihi satis erit monuisse.
Neque enim omnia in universum femi-
nia, quae humano generi *suum* aegritudi-
nis genus parant, a me commemorata
profiteor; potiora tamen, quae ad rem
probandam sufficere videbantur; ne-
que in animo mihi fuit vituperare na-
turam de corporis humani structura,
cum ex singularum partium minus, at
relative, perfecta conditione de machi-
nae totius structura, *absolute* perfecta

vix sanum ferri possit iudicium, nisi miram omnium partium ad certum finem conpirationem accurate investigaveris. Certum hunc finem altiorem esse mentis humanae destinationem, quis est, cui non praesagiat animus? ex quo non parum solatii percipies, si quid Tibi aegritudinis attulerit haec, illa, ad aegrotandum proclivitas, quam animalium praestantissimo natura prae reliquis addidit.

Si quispiam forte in eo mihi dissentiat, quod ad hominem incultum haec, illa, adhibuerim, quae ex vulgari opinione praeter naturam sunt hominis et vi cul-

turae demum adeptae; velim equidem,
ut bene sit memor de praeclara illa con-
ditione, qua animal hoc providum, sa-
gax, multiplex, acutum, memor, ple-
num rationis et consilii, quem vocamus
hominem, tot animantium genera at-
que naturas antecellit. Propter ingene-
ratam enim homini rationem et mentis
celeritatem, cum adhuc staret in operum
suorum primordiis genus humanum,
fieri tamen non potuit, quin sensus tam-
quam satellites attributi homini ac nun-
tii rerum plurimarum obscuras et ne-
cessarias intelligentias citius, serius,
enudarent. Haec erat ratio, cur
paullo

paullo altiori loco, quam R V S-
S A V I O placet, hominem natura-
lem collocandum [putarem. No-
stra enim omnis vis in animo et corpo-
re sita, altera nobis cum deo, altera
cum bellua erat communis; quamvis
ab illo remota huic propius accederet
primaeva gens hominum, animi tamen
imperio aequae ac corporis servitio ma-
gis uti oportuit, ut, quae proxime simi-
lis erat, perfecte similem fuisse pecori-
bus, existimare nequeam. Dat. e-
mus. d. XVIII. Mart. MDCCLXXXVII.



§. I.

Primaevos sibi que ac sorti suae relictos homines aegritudinibus, magna saltem ex parte caruisse, et si quid aegritudinis simplicis inciderit, haud aegre inde convaluisset spontaneo naturae conamine, non valde mirabitur is, qui non nescit, quantum vitae agrestis simplicitas ad sanitatis vigorem alacritatemque valeat. Interim, eunte tempore, a pristina simplicitate recedere homines, et morum ingeniique cultura incrementum hominum ac desideria. Luxuriant otio animi, luxu perditum et in luxum effusi. Aegritudines nunc frequentiores evadunt et longe graviores; diversa etiam ratione inter se complicantur; vehementior aegritudinis, peioris redditae, actio non parem adversus se sollicitat vis medicatricis reactionem; propter motuum naturae tarditatem non amplius sufficit medela spontanea. Egent igitur medicina,

A

omni-

omnino carere *vel* paucis remediis domesticis acquiescere poterant ^{a)}. *Aetas vero parentum, peior avis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosorem.*

§. II.

Quod cum *bene* intelligerent sapientiores nonnulli atque eclecticici viri, in eam facile, sed extremam abierunt sententiam, quae ingenii humani culturam et hominum in societatem congregationem omnium malorum fontem continere, ratione destitutorum felicitatem super illam animi, disciplinis liberalibus innutriti longe eminere, omnium denique artium genera, per collecta omnium seculorum omniumque populorum observata et legitimum ratiocinandi modum omnibus fere numeris adimpleta, detestatione magis quam admiratione digna putat. An adeo mirum, artium omnium praestantissimae, Medicinae inquam, non abfimilem inferri iniuriam? Novimus enim, in contemptu eam habuisse PLATONEM,

a) Eleganter, ut sua solet omnia, de hoc argumento differuit cl. FINKE in Exercit. med. de vtili quidem, sed admodum limitanda medicina populari. Rintel. 1785.

NEM, CATONEM, ARISTOPHANEM, PLINIVM, EVSTATIVM, AGRIPPAM, CARDANVM, ANDRIANVM VALESIVM, PETRARCHAM; horum vestigiis instituisse MONTAGNE et MOLIERE; RVSSAVIVM denique inter reliquos omnes iniquissimum fuisse Medicinae censorem. Qui cum singulari ingenii acumine status hominis animalis dignitatem vindicaret ^{b)}; non pauci inventi sunt, quibus novitatis gratia nova arrideret sententia. Agam itaque horum inprimis provinciam, ne argumenta adversa praeterire videar, quae quidem minus favent infra ferendo meo iudicio. Addam potius hoc et illud, quod animum subit, momentum in adversariorum gratiam, et inde, si quid *nimii* inest in status hominis naturalis praeconio, id quidem corrigere,

A 2

verum

b) Si elle (la nature) nous a destiné à être sains, j'ose presque assurer, que l'état de réflexion est un état contre nature, et que l'homme, qui médite, est un animal depravé, et alio loco : la plupart des maladies, qui affligent l'humanité, sont l'ouvrage de l'homme en société. Discours sur l'origine et les fondemens de l'inégalité parmi les hommes.

verum autem illustrare et confirmare studebo.

§. III.

Posteaquam homines ex vitae genere, ab illo brutorum animantium proxime distante, in civium societatem erant congressi; non ita multo post in diversas secedere classes, quarum singulas incedere suum incommodi genus. Inspicias, quae maxime eminent inter nos, *pauperum* et *divitum classem*, homines, qui vitam *sedentariam* gerunt, vel in litteris insumunt nervorum vires, vel artes sellularias tractant, corpus curvantes, *clericos* denique et inter eos potissimum, qui conjugii exsortes vivunt, et hominem in ciuitate constitutum pro vitae generis ac negotiorum varietate a caussa levissima angi perspicias et maxime sollicitari, omnes fortunae vicissitudines iniqua accipere mente, animum erudiendi et a multis praeconceptis opinionibus liberandi causa corpus infringere, ciborum varietate et coquorum artificiis gulae blandientibus continuo delectari, potibus vero calidis et spirituosis digestionis vim imminuere, aërem non semper satis purum haurire, motum

cor-

corporis vel omnino omittere vel ultra modum instituire, omnem aëris iniuriam aegre ferre, cum omnibus populis commercium quaerere, undique locorum nova sibi arcescere aegritudinum genera, propter nimiam corporis curam vi consuetudinis atque incongruo exoticorum usu corpus debilitare, parentum denique vitia luere, nec raro per totam vitam cum aegritudine hereditaria conflictari.

§. IV.

Quamvis igitur satis numerosae sint causae, et etiam plures enumerari possint, quibus effectum est, ut homines, plus, minus, culti et a feritate tantisper remoti, cum agresti ingenio non parum de vigore corporis naturali perdiderint; minime tamen ad eorum accedo sententiam, qui huius effati veritatem eo detorquent, ut nobis persuaderi velint, nihil peius et quod magis repugnaret naturae instituto, accidere potuisse generi humano, quam animi culturam, qua prae feris et barbaris gentibus adeo longe excellit. *Inprimis* simplicissimae etiam rationi magis convenit, egregias illas dotes in mente humana reclu-

fas coli et poliri, quam incultas manere et impolitas. Quodsi verum est, de quo neminem dubitaturum, arbitror, artes hominum et studia non nisi ex vita sociali initium capere potuisse ac nutrimentum; absque sonum sane erit, statum hominis extra socialem pro naturali et felicitati maxime congruo habere, qui nullam permittit virium explicationem, quas ea lege natura homini dedit, ut excolerentur. Animantium brutorum ea est conditio, ut ingenii dexteritate, quam singulis speciebus natura impertit, omnia fere, cum adoleverunt, simili quadam et constante ratione gaudeant; ex quo colligi potest, vix maius perfectionis fastigium in hac rerum natura brutis animalibus esse praescriptum. Intra hos cancellos non subsistunt excellentissimi animalium, hominis inquam, facultates, sed ad immensam adeoque insignem sui exaltationem nituntur, ut quovis fere seculo praeterlapso novam speciei dignitatem et auctoritatem acquirant homines. Sufficit mihi, argumentum hoc attigisse; quod cum prolixius tum ornatus exposuit cl. ISELIN ^{c)}, quem,

c) Ueber die Geschichte der Menschheit. p. m. 162. seq.

7

quem, si tua interesse putaveris, velim
ut adeas.

§. V.

Equidem non tam philosophi, quam
medici partes in me suscipiens, id mihi
potius inquirendum arbitror: an vita socia-
lis ex necessaria lege aegritudinis humanae
incrementum adiuvet, atque animi virium
explicatio et nobilitatio non alia lege po-
tuerit perfici, quam ut in sanitatis destru-
ctionem homo arma intenderet? Quod si
domina omnium et regina ratio, ita sen-
tiente sapientissimo Romanorum consule d),
connixa per se et progressa longius, *per-*
fecta fit virtus; eum, qui perfecta gaudet
ingenii cultura, vix arbitror, ita abuti posse
hac libertate, ut in salutis physicae cor-
ruptionem usum libertatis convertat. Probe
enim distinguamus morum in vita sociali
elegantiam seu cultum hominis exter-
num e) ab illo interno f). Alter enim al-
teri nec semper nec ubique respondet, ne-

A 4

que

d) CICERO Tuscul. Quaest. 1. 2.

e) Politur.

f) Aufklärung.

que abutitur homo cultura ingenii, sed cultu externo. Equidem non ignoro, causarum, quae in societate efficiunt, ut minus sit corporis robur, non paucas esse extra nos et potestatem nostram, v. c. variolas malignas, pestem, febrem putridam, epidemice grassantes, quae nulli temperiei parcunt; curas animi graves ex doloribus corporis; conditiones aëris salubres; animi ex infortuniorum perpetuitate aegritudinem, ne alia dicam, quae vix et ne vix quidem a nobis amoliri, nec semper arcescere licet. Haec haecenus! Ab altera vero parte non minus recte perspicio, multa intra nos esse sanitati inimica, plura etiam et multo severiora. Quid obstat, quo minus fortunae dotibus iustum statuamus ac modestum pretium, par scilicet desideriiis, ne anxie necesse sit concupiscere quidquam? nam malim equidem tantum de desideriiis demere, quam tantillum addere fortunae. Intra nos est primordium corporis sanum, a parentibus sanis sub actu generationis in novum hominem inferendum, quod a podagra, apoplexia, hydrope, phthisi, caveat, quae mala certissime videmus etiam contra omnes contranitentis rationis vivendi vires a patribus in filios transire. Victus
ratio-

rationem in iuventute velini abstemiam; nam vinum est medicamenti genus; aquam in usum nostrum contemperavit natura. Cum pauca carne multum plantarum, paucos sales, pauca aromata capias; victum in universum parciolem, qui melius coquitur, nec sanguinem inficit, quem blandum desidero et infantili proxime similem. Longissime absit irritabile illud ingenium, ita maxime tibi periculosum, ut minime coeptis favet fortuna et acrius illud temperamentum, quod ab iniuriis acceptis non levius, quam tactus organon ab immodico exercitio, dolet. Omnia sint tibi mediocria cum quadam ad laetitiam inclinatione, tamen ne ulli voluptatum indulgeas, sic cibo utaris, ut infra naturae desiderium subsistas, in venere, studiis, et corporis exercitatione mediocritatem ne attingas quidem, somno vero magis indulgeas, quam resistas. Quem ambulatio delectat et naturae spectaculum; qui studia amat nullo cum eruditionis desiderio aut inclarescendi amore; qui ad omnia se facilem gerit neque alia bona consectatur, quam quae ultra se offerunt et fortunae vicissitudine superiora sunt, nae ille mentem sanam cum corpore sano tuebitur, et conquiescet de animi cul-

tu, quem adeo acerbe dolet tristis Gallo-
rum philosophus.

§. VI.

Quo fatius faciam meis partibus, pondus huic rei addere liceat ex physiologia corporis humani sumtum, quod ab iis fere omnibus praetervisum miror, qui vitae socialis dignitatem hactenus vindicarunt. Inquiras corporis fabricam, nec paucas habebis rationes, in universa corporis oeconomia fundatas, quae homini, in statu naturali permansuro et animalibus proximo, plura, quam ceteris animantibus, aegritudinum genera parant. Vide igitur, ne iniurius sis in magna illa et graviora commoda, quae ex societate in te redundant, et huic perperam tribuas, quae fabricae corporis sunt vel morum intemperantiae. Quod cum fatis mihi dignum videtur, in quo paullo diutius insistam, tum eo facilius excusatum iri spero, quo certiori fiducia sententiam huic contrariam nuper confirmavit multi nominis vir et in arte sua facile princeps g).

§. VII.

g) *Beantwortung einer von der Batavischen Gesellschaft zu Rotterdam aufgegebenen Preisfrage von * * **

der

§. VII.

Dictum est de feminio hominis naturali, quod proclivitatem ad hanc vel illam aegritudinem concipiendam infert, sicubi potentia nocens analoga accesserit. Cum vero feminia, quae cum sanitate consentiunt, vel unicuique homini vel sexui sequiori inhaereant; non incongruum videtur, feminia communia a propriis discernere et utrumque seorsim spectare, ut tamen ea nunc omnia mittam, quae cum bestiis communia intercedunt hominibus.

Sectio

der Arzneykunst Doctor u. s. w. durchaus mit Zusätzen und Vermehrungen des Verfassers bereichert, und mit einigen Anmerkungen teutsch herausgegeben von I. F. M. HERBELL. Cleve und Amsterdam 1786. p. 13. „In so weit der Mensch ein bloß thierisches Daseyn hat, wird er nicht mehr und nicht weniger von Krankheiten oder Gebrechen angegriffen, als das Thier. — — — „Von dem Augenblick an, daß sich die Menschen in Gesellschaft zusammen vereinigen haben, das ist, daß sie angefangen haben, jenes abgesonderte und wilde Leben zu verlassen, sind sie einer Menge Krankheiten, die aus der Natur ihrer veränderten Lebensart unmittelbar entspringen mußten, unterworfen worden.„ Si nomen auctoris suspicari licet, me quidem coniectura ducit ad magnificum GAMPERI ingenium, quod in Belgio eminet.

SECTIO PRIMA.

SEMINIA NATURALIA
COMMVNIA.

§. VIII.

Eminet inter haec

1) *Instinctus hominis naturalis imbecillitas.* Instinctus ulteriorem explicationem cum lubenter in medio ponam et iis relinquam, quibus otium, philosophis; minime tamen a via recta aberrare mihi videar, si ea voce comprehendam *virium animalium, corporis pariter ac animi*, ad vitam conservandam quaeque pro diverso vitae genere cuius animalium speciei necessaria sunt, suggerenda ex necessitate logicomorali determinationem ^{h)}. Instinctus animalium naturalis imprimis determinatur *sensu* et *appetitu*, quem natura beluis dedit, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero fecernerent pestifera a salutaribus. Ad sensum gustus pertinet

h) Si plura cupis, remitto te ad cl. REIMARI satis celebre scriptum: *über die Kunsttriebe der Thiere.*

tinet atque olfactus, quod utrumque sensationis genus partitas vices habere videtur. Gustu dignoscunt animalia plantarum aliorumque ciborum naturam; ea sola admittunt, quae mediocri usu salubria sunt; a reliquis naturam alibilem non continentibus, propter amarorem et alias causas, ipsam demum fatuitatem abhorrent. Hinc, quae inter venenatas et noxias herbas incedunt, tantum abest ut his laedantur bestiae, ut eas ne attingant quidem. Immensam napelli copiam, per alpes lapidosas crescentem et maiorem etiam in humilioribus subalpinis pratis hellebori albi, armenta intactam relinquunt.

§. IX.

Minime tamen haec nimis ornasse oportet. Neque enim sine exemplo est, vel necessitate coactas vel imperitia seductas beluas noxios sibi cibos sumere. Erucæ, quae propriam sibi arborem eligunt, esurienter escas appetentes, proxima quaeque corripunt. Insolitam sibi herbam napellum caprae suecicae non sine pernicie devorant. A ranunculo etiam lanceolato, a cicuta aquatica,

ca, a phellandryo, labem in armenta diffusam experientia comprobat. Sin adeo facilis brutorum est error, quibus ad acriorem gustum natura maiores in lingua papillas dedit; multò facilius erit hominum, qui in remota solitudine aliorum doctrina egent monitisque. Errorem hominum itineraria confirmant, quae ab usu plantae virginicae in acetario sumtae et a nucibus moschatarum similibus in America nautas morbum sibi intulisse ac mortem testantur.

§. X.

Cum vero serius et tunc demum gustus inimicam cibi naturam prodat, quando manducatus nocere potuit; in eo non leve deprehendimus naturae prospicientis vestigium, quod olfactus gustui subveniat, si quando deficiat eius custodia, ut ipse homo, praedam quidem suam non sagiens, de noxia ceterum atque innoxia ciborum natura olfactus ope ut plurimum certior fiat. Omnes enim natura ducimur, ut cibum putidum, tamquam minus salubrem respuamus; ex grato cibi odore non facile insalubrem esse coniiciamus naturam, modo ab acidis mineralibus discedas, quae vel ca-

rent,

rent, vel etiam delectant odore, cum ad hoc venenorum genus a se non datum natura non instruxerit hominem. Vicina priori utilitati est altera, qua vires medicatas olfactus detegit. Multas certe, ut aroma, spiritum rectorem, acorem vegetabilem, amarorem, virus, gustus una cum olfactu et nonnumquam is solus percipit; vis enim odorata aliquando sine sapore est.

§. XI.

Iterum vero sagacitatis maior erat in brutis necessitas, quae cum institutione carent, tum sibi ipsi soli discunt ac curant nihil profutura posteris. Ea dote naturae et praedam eminus detegunt vultures, canes, insecta, et vires rerum sibi noxias utilesve unice distinguunt. Sedulam miramur pascentis ovis solertiam, qua per pascula gramina excutit sibi que salubriora eligit, et hominis vicem dolemus, quem acetariis, fructibus, melle, herbis aliis, sibi nocuisse constat.

§. XII.

Possis quidem arguere non sine veri specie instinctum hominis naturalem in specie-

cietate demum rationis ac liberae potestatis, quam natura nobis concessit, exercitio, corruptum atque hebetiorem fuisse redditum. Neque is ego sum, qui omnino diffitear, sensum hominis naturalem de eo, quod sanitatem laedit ac iuvat, fortassis multo olim acutiorem fuisse, quam vulgo putatur, quod vel ex eo colligi potest, cum ipsa rationis cultura non omne potuerit huius sensus delere vestigium. In magnum aegrotantium commodum sensus ille naturalis in morbis subinde evigilat, quem in fundo animae natura condidisse videtur. Si viscera maximus calor urit, omnes concupiscimus, plenis ex fonte frigido cyathis haurire aquam; dum causa putredinis nos angit, acidorum usu mirifice delectamur, de causa putredinis inscii, et puerum, febre intermittente fere consumptum, halecis usu convalescere vidit illustris, quem mihi praeceptorem habuisse contigit, GOLDHAGENIVS. Neve tamen in animum tibi inducas, appetitum hominis naturalem numquam sine insidiis esse, neve ob casum specialem, qui exceptionem postulare videtur, assertum illud generale mittas: animantia bruta quoad instinctum naturalem hominibus longe excellere. Quae enim
poste-

posterioribus suadent, haec sunt non levissimi ponderis argumenta: a) *Ab animantibus instinctui obtemperantibus non raro edoctos fuisse homines, ex artis historia et itinerariis constat.* Ea erat humanitatis conditio, ut quo propius ab animantibus et quo remotius distaret ab ingenii cultura, eo faciliorem se gereret ad mores brutorum contemplandum atque in suos recipiendum. Sic venae sectionem ab Hippopotamo didicerunt, qui assidua satietate obesus, si **PLINIO** i) fides habenda est, in littus exit, recentes arundinum caesuras speculatus atque acutissima stirpe venam quamdam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, plaga limo rursus obducta. Clysmatum usum eodem auctore monstrasse videtur volucris in Aegypto, quae Ibis vocatur, quaeque rostri aduncitate per eam partem se perluit, qua reddi ciborum onera maxime salubre est. Ex hircis porro, quae esset melampodii virtus, quam in regis **PROETII** filia insaniente postea felici tentaverat eventu, **AMYTHAONIVS** didicisse fertur **MELAM-**

i) Hist. nat. L. 8. c. 26.

LAMPVS. Sic aliud forsan animal incognitum docuit CHIRONEM plantae illius usum, quae ab inventore suo hodieum Centaureum dicitur, uti MERCVRIVM plantae mercurialis atque Moly vim. Haec utcumque obscura et partim minus fida sint, tamen certum est atque exploratum, peregrinatores id sibi fumere indicium, ut eos fructus solos degustent, quos simias aut aves in cibum recipere videant. b) *Fabrica organorum diversa instinctus animalium excellentiam probabilem reddit.* Natura ipsa instituisse videtur, ut hominis olfactus esset obtusior, animalia multo essent sagaciora. Quadrupeda pleraque olfactu excellunt; rapacia animalia praedam eminus odorantur; mitia vero et herbivora inter herbas noxias quasque mira cum sedulitate feligunt. Quae vero acriter olfaciunt animalia, in universum adiuvari vides *primum* naribus longioribus, v. c. ursum, suem, canem odorisequum, *tum* officulis spongiosis evidentioribus, frequentioribus, pulchrius structis, maioribus, mirifice intortis. Cani leporario plura sunt ossa et mire gyrata; elegans eorum apparatus deprehenditur in leone, fele, urso, mustela, bove, ove, equo, porco, lepore, hystrice, cervo, capreolo,

preolo, elephanto. Quae si comparaveris ad hominem, ex simplici eius et tubulosa fabrica non difficile intellexeris, cur plerisque bestiis subtilitate huius sensus longe inferior sit ^{k)}. c) *Per structuram corporis animantium mechanicam, motus plurimi ad vitae sanitatisque praesidium sponte quasi determinantur.* Quid velim, exemplo facilius illustratur, quam explicatione intelligitur. Inspicias avem, dum in arbore confidet, quam pro cubiculo eligit; nec sine animi quadam delectatione eam musculorum insertionem et partium, quibus affiguntur, mobilitatem animadvertes, quae efficit, ut pedis digiti, quam primum confederit avis, ramum arboris in omnem partem circumplectantur, et periclitantem tueantur, ne intra dormiendum de arbore decidat. Si ad haec comparaveris manum hominis, commune scilicet omnium instrumentorum instrumentum, quo plurima vitae humanae munera procurare naturae placuit; vix et ne vix quidem operam notaveris manuariam, ad quam musculorum motum

B 2

lege

k) Simplex etiam in torpedine, quod animal aegre movetur et tactum praedae suae pigrum expectat.

lege necessaria natura determinaverit. Accedit organorum, quae motum perficiunt, robur atque agilitas, in brutis animantibus insigniora. Musculorum, qui pedem, manum et linguam hominis movent, nescio quem languorem notamus, ut animi non tantum incitamento, sed ad motus dexteritatem ac celeritatem expeditam frequenti opus sit repetitione. d) *Omnem status corporis interni mutationem et animi huic respondentem conatum rectius sentire videntur bruta animantia.* Vix quidem negari potest, aliquam esse homini sensationem de statu corporis interno, at propter perpetuam mentis humanae activitatem, reflexionem et attentionem interna illa sensitio pedetentim obscurior fit, ut prorsus nesciat, quae in intestinis, hepate, liene, ipso denique cerebro mutationes contingant. Longe aliter sentio de animantibus, quae status corporis interni a quacumque causa perturbationem satis exacte percipiunt, avium exemplo, quae stato quodam tempore ex regione australi in borealem, ex hac in illam migrant cet. Neque igitur absolum videtur, brutorum animam, sui ipsius activitate minime detentam, periculi tamen formidine inquietam, propter

mo.

molestam minantis mali perceptionem ad quaerendum praesidium animalia impellere, et motus aliquando concitare in functionum suarum systemate, qui licet ex instinctu potius, quam ex consilio profluere videantur, certissimum tamen tutaminis aut levamenti asserendi scopum atque efficaciam declarant. His vitae sanitatisque praesidiis destituti homines in societatem coire debebant, ut incertae vis organicae determinationi experientia et ratione succurrerent.

§. XIII.

2) *Situs hominis erectus.* Natura figuram corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam cum ceteras animantes abieciisset ad pastum, solum hominem erexit ad coelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit 1). Sed ex ea ipsa hominis praerogativa facilius nascuntur morbi instrumentarii, organici, brutis animantibus non aequae familiares ac homini; claudicatio, inquam, herniae, prolapsus uteri, vaginae et ani. Quod cum bene intelligerent egregii nonnulli viri, parum absuit, quin omnem aegritudinum

B 3

nume

1) Cic. Legg. c. 9.

numerum paullo quidem altius ex hominis incessu repeterent. Hominem ad anevrismata, palpitationem cordis, hydropem pectoris, inflammationem, phthifin, varia denique malorum genera ex obstructis venae portarum ramis oriunda, perpendiculari corporis situ procliviozem reddi, imaginatus est cl. MOSCATI ^{m)}.

§. XIV.

3) *Integumenta hominis naturalia, quae vix permittunt, ut sub quovis coelo inoffensa valetudine vivat et violentiae externae satis resistat. Dedit natura animantibus praesidium, quo se adversis ventis pluviae-*

^{m)} *Von dem körperlichen wesentlichen Unterschiede zwischen der Struktur der Thiere und der Menschen. a. d. Ital. Gött. 1771. Situm hominis erectum tuitus est celeberr. MAYER anatomicis, ut solet, praesidiis: Beschreibung des ganzen menschlichen Körpers mit allen wichtigern neuern anatomischen Entdeckungen, u. s. w. J. B. p. 120 — 138. Cl. MOSCATI theoriam redolent, quae super eodem argumento nuper differuit, non sine dicendi elegantia, Belgarum medicus. (SCHRAGE in: Geneeskundige Jaarbæken. P. I. II.).*

pluviaeque opponerent, et quae dorso plu-
 vias accipiunt, dorfi habent pilos longiores.
 Homini vero uni reliquit, quod genus in-
 tegumentum sibi fumeret vitae muniis com-
 modum. Equidem non diffiteor, molli-
 tiem, luxum et lasciviam hominum, in vita
 sociali ab integumentorum apparatu se effe-
 rentem, novam attulisse potentiam, quae
 firmo et bene constituto corpori non parum
 noceret. Nec tamen verosimile est, aëris
 quamcumque iniuriam, temperiem nimis ca-
 lidam vel frigidam, utriusque subitaneam
 variationem, in statu hominis fero propter
 teneriorem et magis nudam superficiem
 corporis absque ullo sanitatis incommodo
 tolerari. Homo enim quamvis ex sua na-
 tura hirsutum sit animal, totum pilis in-
 spersum in facie etiam, pectore, brachio-
 rum et crurum magna parte, et formosissima
 puella faciem totam hirsutam habeat; sunt
 tamen breves pili et molles, si quasdam
 corporis partes exceperis, et qui copiosissi-
 mi sunt in capite et longissimi, tum in tota
 cute cranium operiente, tum in viri facie
 infra eminentem os malae mentique, pectore
 etiam, in quibusdam pectus atque anteriorem
 corporis faciem, non itidem dorsum ac re-

liquas partes defendunt. Quoties vero id genus pilorum, quod vulgo brevius manet, in homine excrescit, et parem cum pilis partium vulgo hirsutarum longitudinem induit, tunc homines monstrose pilosi et feminae hirsutae ac barbatae in annales referri solent, ut admodum fabulosum sit, integras huius generis gentes reperiri. Brutis animalibus in regionibus calidis parci sunt pili, abundant in frigidis. Sed ungues etiam, qui in animalibus locum armorum tenent, nimis debilia forent arma, quae homines beluis hirsutis opposerent, quamvis ungues non aliter ac pili hominum, qui in locis desertis oberrant, miram subinde longitudinem nanciscantur, nisi ad meliora arma, bacula inquam et arcum, quibus ferissimas nationes uti scimus, natura hominem instituisset.

§. XV.

4) *Nervorum sentiendi vis in homine acrior, quam brutis.* Cum gustus atque olfactus sensum animalibus exquisitissimum, tum homini tactum perfectiorem

rem dedit natura, quo certiore et faciliorem externa indagandi methodum haberet, quam a tenera aetate exercet. Aliis enim sensibus certior tactus, ipsorum aberrationes frequentissimas corrigit et moderatur. Neque igitur mirum gratissimas aequae ac vividissimas ex hoc sensu percipi affectiones, ut etiam Chineses, penicillo in aure rotato, vehementiorem sibi excitent voluptatem, quam pro tertio a venerere et cerere deorum bono habent. Sed haec ipsa tactus nervorum sensibilitas immodicum subinde exercitium parit et molestam homini affectionem, quae propius ad dolorem accedit. A leni frictione labiorum, plantae pedis, volae manus, cutis alarum, et in quibusdam hominibus a simili frictione tegumentorum, quae costis et ossibus ilium interiacent, vix tolerandus titillationis sensus creatur. Neque obstant communi legi exempla hominum, quorum papillae absque titillationis sensu confricantur. Ii enim videntur *aut* minores ea sede nervos habere *aut* profundius sitos *aut* cute densiori et maiori adipis volumine tectos. Cum vero ea sit titillationis natura, ut organa risus, diaphragma scilicet cum musculis abdomi-

nalibus in consensum trahat, quae singula in expiratione sursum quassantur, et dum multae inspirationes sibi succedunt, alterne adeo cum suis imis costis ascendunt ac descendunt, ut in ipsis lateribus manifesta sit succussio; cum nec remittat insuperabilis iste risus, etiam maxime nolentibus ridere, quam diu contactui non adsueta cutis laceffitur, cumque funesta exempla docuerint, vehementiorem titillationem non tantum in epilepsiam ⁿ⁾, sed in ipsam mortem ^{o)} abiisse; dubitari vix potest sensilitatem hominis naturalem sub latitudine sanitatis contentam multo acriorem esse illa brutorum, ideoque hominem ad plura aegritudinum genera, quae magnam et praeternaturalem sensilitatem sequuntur, ex sua natura proniorem esse.

§. XVI.

5) *Hominum fere perennis ad venenem stimulus, qui per periodum animalia*

n) G. V. SWIETEN Comm. T. III. p. 402.

o) KLOEKHOF de morb. anim. p. 53. Mortes ex titillatione JOUBERT du ris p. 131. ROBINSON of the spleen. p. 148.

lia urget. Cum omnia fere animalia ad venerem robustiora sint, homine p); plerumque tamen certa tempora habent, quibus et mas ad impraegnandum aptissimus in concubitum ardet, et femina se patientiorem praebet, maremque minus invita exspectat aut sequitur, ut etiam steriles feminae, teste de BVFFON, suis temporibus absque mare, nescio qua cupidine ductae, catellos alere velint et ova absque mare pariant. Abundantia pastus veneris tempora fere ad vernos menses restringit aut ad aestivos. Carnivora tamen animalia, et quae hominem secuta numquam non satis habent dapis, totis annis feminam quaerunt, et quae per totum annum veneri obtemperant, aviculae, eadem etiam toto anno canunt; ita tamen, ut earumdem specierum feminae, v. c. equae, catellae, extra sua tempora marem reculent. En causam polygamiae naturalem in
his

p) Magis abundat semen equis, asinis, apris; minus iterum generi canum feliumque; minus avibus, in quibus perexiguum est totaque venus celerrima; copiosissimum est insectis, cochleis, piscibus.

his animalibus, quae ab humano genere tota abest. Huic enim mas debilior; amor in femina diversus etiam ab eo, quem stimuli cient corporei, et multo maius certae feminae ex memoria et imaginatione desiderium, neque certum ullum tempus, quo venus minus appetatur; quae omnia efficiunt, ut homo ad polygamiam minus aptus sit.

§. XVII.

Cum igitur femina post conceptionem factam non tantum non recuset, sed etiam appetat marem, et hoc desiderii genus denegari vix possit, quin animi ac nervorum vires mirifice consumantur; quae ex hoc fonte redundant mala, homini fere propria, non difficile perspicias. A venere enim sponte etiam, sed nimis frequenter natura imperata, nervorum vim imminui, atque omnia fere pathematum genera originem ducere, mea nunc non eget demonstratione. Sed ipsa novi hominis primordia non levem experiuntur, nec semper innocentem ab impetu eiaculationis et matris
nervo-

nervorum convulsione alterationem, ut mihi persuasum sit, vulgarem circa concubitum gravidarum errorem perfectissimae foetus evolutioni magno subinde esse obstaculo et partus tempora praecipitare. Nec minoris est damnum, quod tenellis infert lactantium venus; cum facile fluorem menstruum moveat et nisi uberiolem lactis secretionem impediat, huic aquosam inducat et minus salubrem naturam propter eximiam vim, quam liquida corporis a quacumque nervorum affectione patiuntur. Quod si foecunda fuerit lactantis venus, etiam magis turbatur lactis secretio, ut vix inultum ferat natura, si lac alumno prae- buerit.

§. XVIII.

6) *Longaevitas hominis.* Longaevitas videtur homini naturalis contingere; mors autem casu accelerari, praeter causam aliquam in fabrica corporis fundatam, quoties homo infra terminum vitae subsistit, natura praescriptum. Homini prae omnibus quadrupedibus mol-
lissima

liffima tela cellulosa atque universa fabri-
 ca tenerior est, quae solidorum indura-
 tionem ideoque causam decrementi, senii
 ac mortis tardiozem reddit, et lentam
 vitae periodum inducit. Sed haec ipsa
 hominis praestantia, digna, quam arden-
 tiori studio tueamur, plura, saltem gra-
 viora et diutius protracta vitae humanae
 incommoda creat. Nam universum fere
 nervorum systema ut proxime ad vitae
 terminum accedimus, ita maximum sibi
 otium facit a vitae animalis imperio.
 Cerebrum lento callo indurescit; antiqua
 rerum vestigia amittit; nova non recipit.
 De desideriiis vix aliud sentiunt decrepiti,
 quam proximae necessitatis cupidinem,
 cibi potissimum, quae omnium ultima
 superest. Ante mortem nulla excremen-
 torum irritatio; somnus fere perpetuus.
 Veneris gaudia dudum effugerunt cum ani-
 ma partium genitalium sensitiva. Au-
 rium officium integre disperit. Lucis
 maioris indigentiae per aetatem caecitas
 succedit *tum* ex amaurosi a callosa reti-
 nae conditione, *tum* a cataracta ex per-
 fecta lentis crystallinae opacitate subor-
 ta. Olfactus et gustus plenaria abolitio.
 Muscu-

Musculorum omnium summa debilitas. Viscera velamentis suis et vicinis sacco-
rum membranis adnascuntur; omnes ar-
ticipuli coalescunt; deletis alveolis, maxil-
lae os male claudunt, et ipsa vis muscu-
lorum eam levantium ita fracta est, ut
perpetuo masticare videantur, dum maxil-
lam sponte labentem cum dolore attol-
lunt. Dentium etiam defectus vix man-
dicationem permittit et facit, ut, qui
gingiva inermi frangitur cibus, male sub-
actus et durior deglutiatur. Denique cor
ipsum, princeps corporis animalis machi-
na, oneri succumbit, arteriis scilicet in-
duratis, quae eius vires dudum supera-
runt. Scenam claudunt sphaceli seniles,
quando omnino cor sanguinem non potest
trans vasorum angustias adigere rel.

§. XIX.

7) *Pathemata animi.* Cum bruta
amorem venereum, amicitiam socialem,
pietatem maternam, iras, gaudium, do-
lorem, metum, praecipuos omnino af-
fectus exprimunt; tum homini et haec
communia sunt, et alia destinatio est, alii
adeo.

adeoque stimuli. Probe tamen perspicio, quam difficile sit ea de re quidquam certi definire; cum hactenus non satis compertum sit, quae homines semibarbari ratione cupidinis et averfationis cum brutis animantibus communia quaeque diversa habeant, nec satis tuta sit de affectibus animi, quales in vita sociali cognitos habemus perspectosque, ad hominem naturalem conclusio. An spem et considerationem remoti ac futuri eventus, gloriae instinctum et curiositatem sive nova discendi cupidinem, quibus hominem ab animali differre vides, itidem invenias in homine, ex sylva et bestiarum consuetudine numquam egresso? Curiositatis saltim, cuius exigua sunt apud animalia, et aliqua in cane vestigia, multo insigniora sunt in gentibus barbaris 9). Obiecta potissimum splendida amant, infantium instar, et mirum in modum meticulosae sunt. A tonitru, concussione terrae, cuiuscumque phaenomeni insolentia, in perturbationes atque exanimationes incidunt, et de daemonum iracundia cogitant, causam

9) ISELIN l. c. p. 290.

sam effectibus nexam ignorantes r). Cum igitur naturae fuerit institutum, ut homo ex praesente causa effectus futuros colligeret, in eos ita extenderet spem suam, ut praesentibus praeferret, et gloriae instinctu ad omnem vitae civilis virtutem et eius ardua munia subeunda incitaretur, is demum solus ad perspicienda universi corporei miracula superesset, ne absque spectatore esset naturae spectaculum; non evincitur quidem, at probabile redditur, barbarorum etiam hominum multo frequentius sollicitari ad animi pathemata instinctum quam belluarum, et ex hac animi sollicitatione in corde, sanguinis circulo, nervis, musculis, universo corpore vehementiores oboriri ac violentos motus.

§. XX.

§) Postremo memoratu sane digna est ea naturae humanae conditio, quae *assuescendi*

r) НОМЕ Versuch über die Geschichte des Menschen, P. 2. p. 210.

scendi facultatem sibi propriam reddit, non minus in corpore, quam mente hominis collocandam, cuius utrumque principium, diversum quidem, in unum tamen finem consentit. Forte hoc mirum tibi videbitur, me numero eorum, quae homines fere ad aegrotandum propria nacti sunt, non satis laudandum illud beneficium accensere, quo mitiorem faceret natura calamitatis physicae iniuriam. Cum enim ex assuescendi facultate sexcenta impune feruntur, quae minus adsuetis perniciosa immo lethifera sunt; tum in omnium actionum exercitio non parum iuvamur consuetudine, et vires naturae medicatrices nescio? quam facilitatem agendi nanciscuntur, quo promptius occasione resistere, iniuriam inde illatam corrigere et affectam partem in integrum restituere possint. Vides igitur, ob quam rationem morbi consuetudine magis tolerabiles et tractabiles reddantur, venena mitescant, morbi habituales mitiores et valetudinarii saepe praeter opinionem longaevi sint? Ab altera vero parte salubres consuetudinis effectus non semper sunt absolute tales, sed relative; ponunt enim

vis sentientis, irritabilis, systematis denique vasculosi affectionem, quae vere praeter naturam est, nec tamen adeo gravis, ut vulgo pro morbo habeatur. Quodsi nicotianae fumum, opii, vini, ipsum denique arsenici usum ex repetita impressione latitudo quidem sanitatis admittit, fieri tamen nequit, ut nervorum principium vitae et sanitati necessario innexum, ab omni parte illaesum maneat. Vbi sensim applicatur materia peccans, mali quidem sensus mitescit, at propter sensum mitiorem obdormiunt nervorum vires, quae sanitatis vigilias agunt, et naturae adversus se impetum non sollicitant, sed magis prosternunt, ut in longum protrahantur passiones. Brutorum cum ad vitam sanitatemque propugnandam multo certior sit atque agilior vis nervorum conservatricis aequae ac medicatricis directio, characteris morborum in nervos impressionem non facile admittit natura, quin arma in peregrini remotionem intendat,

et vix ac ne vix quidem irritationi repetitae assuescit. Quibus alia iungi potest ratio, ob quam assuescendi facultas inimica fit homini; nam haec est nervorum proprietas, ut stato quodam tempore facile recurrant, quae iis iam olim contigerunt, mutationes. Hinc gravidarum ad abortiendum diathesis eadem fere periodo, qua semel abortum fecerunt, febris intermittens accessio periodica, motuum spasticorum facilis vel a levissima causa resuscitatio, rel.

 SECTIO ALTERA.

 SEMINIA NATURALIA,
 SEXVI SEQVIORI PROPRIA.

§. XXI.

9) *Purgatio menstrua.* Hanc legem generi humano scriptam esse, de eo nostris quidem temporibus vix quemquam dubitaturum puto. Quamvis enim ARISTOTELES quadrupeda calidi sanguinis omnia menstruis intervallis sanguinem de genitalibus amittere, et veteres aliqui et recentiores simiam, vaccam, cervam, equam, canem, balaenam, raiam piscem, tincam, mulam, lege humana non excepta esse scripserint; vero tamen simile videtur, subcruentum illum fluorem, qui ex pudendis et utero belluarum destillat, ubi aestu veneris certis temporibus stimulantur, purgationem menstruam simulasse; vaccae enim sub veneris tempora pur-

purgationem ARISTOTELES ^{s)} et tempore veneris, deficiente mare, eas bestias sanguinem amittere VERDVC ^{t)} notavit. Accedit, quod uterus bestiarum minime spongiosus sit et aptus dilatationi, neque oscula in eum pateant sanguinem admittentia, neque ulli animali, dum placenta de utero detrahitur, sanguis ea abundantia succedat, qua feminae humanae.

§. XXII.

Porro omni dubitatione exemptum est, omnes in universoni gentes, quam diu corpus idoneum sit concipiendo et nutriendo foetui, fluxus periodici, rarioris tamen apud barbaras gentes et minus abundantis, incommoda pati. Fuerunt quidem, qui feminas sub circulo arctico viventes et Brasiliae puellas ab ea necessitate vindica-

s) Hist. nat. L. VI, c. 18.

t) Usage des parties I. p. 271.

dicarent, aliqui itinerum scriptores; nec tamen levem huius asserti veritatis suspicionem movent vicinissimarum etiam feminarum Orinoki fluminis accolarum consensus, Laponum feminis menses legitimi, de feminis Scytharum iam olim ab HIPPOCRATE et de Samojadis nuper confirmatum menstruae purgationis negotium. At haec, quae quidem naturae minime repugnat, perfectissimae tamen sanitati non parum obstaculi adfert, purgationis feminarum necessitas novum iterum fontem detegit malorum, quae soli homini propria, a belluarum natura aliena videntur. Ut enim de symptomatibus illis conticescam, quae menstruis suppressis superveniunt ex sanguinis in uterum congestione et corruptione, et capitis, pectoris, abdominis inde enata plethora locali, et varia mitam per loca inconsueta eruptionis sanguinis exempla, satis me tibi facturum arbitror, si hoc unum adducam, quod tamen gravissimum est; animalia, quae

D

propter

propter vaforum longe maiorem, quam in homine, firmitatem non experiuntur sanguinis menstrui in uterum nixum, eam ob rem minus, quam mulieres, abortire; haemorrhagias etiam vix umquam pati, nec facile plethorae fore obnoxia, nisi ab homine alienos a sua natura mores imponi sibi paterentur.

§. XXIII.

10) *Hymen, humano generi proprius.* Cum omnes alias pudendi particulas bruta animalia cum muliere communes habeant, solo carent hymene, membrana scilicet circulari in medio perforata, qua vaginae orificium clauditur. Si quaeris rationem, propter quam veteres et numerosi recentiorum scriptores vel nullam huius particulae mentionem fecerint vel eam admittere recusaverint; benefis memor de eius in brutis animantibus absentia, facili per violentiam externam, aegri-

aegritudinem, in casta etiam virgine de-
 structione, et quod gravissimum, de mi-
 nus recte constitutis theatris sub prima
 anatomes refitutae tempora, quibus vix
 aliae, quam facinorosae et sceleratae
 ferebantur feminae. Soli igitur homini
 natura concedebat quoddam pudicitiae
 signum, quo insigne castitatis decus vir-
 go tueretur, et ipse maritus virginis cas-
 titatem agnosceret. Licet enim fieri pos-
 sit, ut laxus et parvus sit hymen, et
 prima venus subinde absque sanguine ab-
 solvatur, neque hymen rumpatur; et sce-
 lerata femina artificio quodam sangui-
 nem elicere et mensium fluor vaginam
 laxare possit, tamen in universum prima
 venus vix plena obtineri potest, quin
 sanguinem fundat superior margo partis
 maioris hymenis lacerata, et insignem do-
 lorem puellae faciat. Nec tamen sine ulla
 aegritudinis organicae culpa, particulam
 hanc esse intelligis, quam natura puellae
 maxime honorificam dedit, cum et ma-

rito nocuerit et nimia atque imperforata frequenter in vitio sit, cur admitti non possit et menses non effluant; ad partum denique expediendum incidi eam oportuerit u).

§. XXIV.

II) *Partus humani labores, quos bestiae minores experiuntur.* Quamvis enim gentes absque dolore parere; itinerum scriptores, fide non semper satis digni, narraverint, v. c. Nigritas orae aureae, Madagascarenses, Gambianas, Brasilienses, Indas orientales, indigenas novae Angliae, rel. sunt tamen, quae ad ista respondeas. *Primum* enim res ita capienda videtur, quod duriores feminae inter barbaras gentes multo quam inter moratas gentes maiorem partem laborum in familia necessaria-

u) Cuius rei testimonium perhibet HALLER.
El. Phys. T. VII. p. m. 95.

cessariorum ferentes, laborem levio-
rem contemnant, et veris tantum proximeque
ad partum ducentibus auscultent doloribus,
quae recta via est ad partum felicem.

Deinde haec non numquam nimis orna-
ri certum est, cum etiam in Islandia non
facilius pariant, quam in Dania, neque
Kurilorum matres citra dolorem foetum
enitantur. Ipsae *demum* bestiae saepe
cum difficultate, periculo et funesto even-
tu pariunt; in partu laborare et perire
vaccas, feles, oves, pasceres canarinos,
pisces, ex auctorum testimoniis constat.
Cum vero bestiae caput in universum mi-
nus habeant et acutum, quod foetui hu-
mano rotundius est et maius, et maior,
ut supra (XV.) demonstravimus, homini
sit doloris impatientia quam brutis; mu-
lier non tantum absque dolore parere
non potest, sed cruciatum etiam gravio-
rem sentit. An situs hominis erectus ad
partus humani difficultatem consentiat,
quae erat cl. MOSCATI opinio? Non
vide-

videtur. Situs enim corporis erectus satis commode permittit, ut caput foetus in mediam aperturam pelvis superiorem descendat. Parturientis ad latus dextrum, sinistrum, vel in abdomen inflexio foetus in utero situm mutat et partum difficiliorum reddit. Sub gressu matris horizontali vix alius esset foetui situs, quam quem notamus in uteri gravidæ procidentia, ad facilem partum minime commoda. Conus etiam aquarum propter situm corporis erectum proprii ponderis beneficio versus inferiorem uteri partem impellitur, nec vero simile est, in situ matris horizontali naturam eadem negotii facilitate et constantia id esse effecturam. Sed hæc hætenus, quæ nullam, puto, dubitationem relinquunt, an limitationem admittat celeberrimi viri effatum: hominem, dum in vitæ animalis ratione permanisset, nec plura nec graviora aegritudinum pericula sustenturum fuisse, quam quibus obnoxia sunt bruta animantia? maxime si cogitave-

taveris, a primo temporis articulo, quantumvis deprimenda censueris generis humani rudimenta, quo se tantisper conspicuam praebuerit rationis lux, pari ratione instinctus animalis virtutem sensim coepisse imminui.



25
The first of the three parts of the
book is devoted to the history of the
country from the earliest times to the
present day. The second part is
devoted to the description of the
country and its resources. The third
part is devoted to the description of
the people and their customs.



V I R O

EXCELLENTISSIMO AC EXPERIENTISSIMO

FRANCISCO PAVLO

FREIER,

MEDICINAE DOCTORI

AC

CIVITATIS HAVELBERGENSIS MEDICO.

NEC NON

VENERABILI

OMNI

VIRO

IOANNI LUDOVICO

NIEDT,

PATRI OPTIMO

GRATO ANIMO

HAS STUDIORVM PRIMITIAS

OFFERT.